DE

EMPTIONE VENDITIONE

QUAE

PLAUTI FABULIS FUISSE PROBETUR

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

ERNESTUS IMMANUEL BEKKER

D. J. U.

A. MDCCCLIII.

PROSTAT BEROLINI APUD WILHELMUM HERTZ

(LIBR. BESSER).

1863, Aug. 28.
.35
Salisbury Fund.

I.

Plautinas comoedias quis nescit fontem esse pellucidum atque abundantem unde res Romanorum domesticas cognoscamus. etenim Plautum constat, quamvis Graecas Barbare vorterit fabulas, Romanos depinxisse mores; id quod si minus certum esse ducas, adverte quanta fide, ubi incidit in mentionem rerum a Romanorum institutis discrepantium, talem usum esse exterarum nationum praedicat. ita in Casinae prologo (v. 67):

> sunt hic quos credo nunc inter se dicere
> »quaeso hercle, quid istuc est? serviles nuptiae?
> servine uxorem ducent aut poscent sibi?
> novum attulerunt quod fit nusquam gentium.«
> at ego ajo hoc fieri in Graecia et Carthagini,
> et hic in nostra terra, in terra Apula,
> majoreque opera ibi serviles nuptiae
> quam liberales etiam curari solent.
> id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
> in urnam mulsi, Poenus dum judex siet
> vel Graecus adeo vel mea causa Apulus.

et in Sticho similiter (III 1 37):

> atque id ne vos miremini, homines servolos
> potare amare atque ad coenam condicere,
> licet hoc Athenis nobis.

jam si cogitas ex jure mores gentium ac rursus ex moribus jus quod obtineat posse cognosci, Plauti summa sinceritate atque alacerrimo ingenio conscriptas fabulas inter certissimos habebis nuntios, qui de antiquissimo jure Romano ad nos pervenerint. ac

multi nostrae aetatis juris periti quanta sit Plauti auctoritas recte agnoverunt, atque ex copia rerum quam praeberet poeta locupletissimus, nonnullas, quas maximi momenti putarent, sibi elegerunt et cum aliunde perceptis contexere studuerunt; sed omnia quae jus spectent colligere et quasi jurisprudentiam Plautinam componere nemodum ausus videtur.

nec nostrum est quicquid Plautus dare facere possit perscrutari, cum magis certam rem petere propositum nobis sit. namque nuper cum Rudorffii institutiones gromaticos perpenderem (krit. Zeitschr. I 5), incurri in novam quandam sententiam de legis actione per judicis arbitrive, quae fingitur, postulationem. qua de re quoniam cum illo viro doctissimo parum congruebam, aliam quoque paullo ante de eadem actione prolatam sententiam brevi illustrare atque cum illa componere haud inutile ratus sum. nam quod ait Keller (Civ.Pr. § 17), ex antiquissimis temporibus duo fuisse actionum genera, judicia, dura illa aspera simplicia, et arbitria, mitia rursus ac moderata minusque certa, de illis per sacramentum de his per judicis arbitrive postulationem agendum fuisse, etiamsi non primus id defenderit, primus tamen ita argumentis confirmavit ut rei difficillimae fidem prope fecisse videri possit. sed equidem persuadere mihi non potui, a nostri aevi viris quamvis prudentissimis recte cognitam esse naturam actionis, quam Plauti aetate in usu vel frequentissimo fuisse asseverant, si ipsi Plauto haec actio ignota plane fuisse videtur. nec cum hanc Kelleris opinionem impugnarem, Plautum auctorem laudare dubitavi. nullam dixi in omnibus ejus comoediis inveniri actionem, quae esset bonae fidei actio. inde quod conclusi, nullas omnino fuisse Plauti aetate bonae fidei actiones, et quae attuli praeterea ad hoc propositum confirmandum, hic enarranda non sunt. sed id ipsum quod dixi, Plautum nusquam in bonae fidei actionis mentionem incidisse, nec levi nec prorsus soluto protuli animo, non quin quod proponerem verum ac certum esse scirem, sed quia tenebricosum idem ac difficile probatu esse intelligebam, atque rem valde dubiam non per ea posse explicari liquebat, quae et ipsa parum perspicua ac firma viderentur.

tenere ergo, quae mihi prima offerretur, occasionem statui, ut quod audacius promisissem tutis munirem praesidiis, neque jam dubitavi ad Plautus redire. verum qua ratione confirmarem sententiam meam, non satis mihi constabat. nam cum plerumque esse aliquid quam non esse facilius probari soleat, quam proposueram negatio sine magnis ambagibus nec probanda neque improbanda videbatur, quia totum Plautinarum fabularum volumen accuratius perquirendum esse apparebat, ut certi quid pronuntiari posset. quapropter non de omnibus hic, qui possent bonae fidei actionem parere contractibus, sed de uno illo, quem saepissime Plautus attingeret, disserere utile visum est.

itaque ex emptione venditione num bonae fidei actionem nasci Plautinis locis possit probari, jam videbimus. at cum pateat, non nisi omnibus perspectis locis cuiquam ut non nasci actionem credat posse persuaderi, omnes qui vel actionem vel ipsam emptionem venditionem spectent ita componam locos, ut cuivis eos sine molestiis liceat perlustrare. quibus sic constitutis, utrum recte in Plautinis fabulis emptionem bonae fidei actionem parere negarim, an frustra sim argutatus, satis cuicui apparebit. sed ultra etiam progrediemur; non hoc tantum efficiemus Plautinis locis, ex emptione oriri actionem bonae fidei probari non posse, sed indidem emptionem venditionem neque bonae fidei actionem neque omnino actionem peperisse colligemus.

quod utrumque si ita demonstrari poterit ut nil scrupuli aut dubitationis remaneat, erit sane argumentum unde suspicari liceat nullas fuisse in antiquissimo jure bonae fidei actiones, neque igitur opus fuisse arbitri postulatione, qua hae incertae intendi possent actiones.

II.

Priusquam ad singulos qui hic percurrendi sint locos accedamus, brevi praemonere liceat, quae emptionis fuerit vis, cum actionem parere non valeret. quod recentiore aevo alia quaevis pactio, id Plauti aetate ipsa emptio, hoc est consensus, ex quo postea actio-

nem natam scimus, valebat. itaque quod solverit alter contrahentium, ubi alter item jam solverat, repeti non licebat, neque redhiberi acceptum. vide quae in Mercatore (II 3 82) dicantur:

C. quid si igitur reddatur illi unde empta est? D. minime gentium.
C. dixit se redhibere, si non placeat. D. nihil istoc opust.
litigare nolo ego vos, neque tuam autem accusari fidem.

atque in Mostellaria (III 2 109) similiter:

Tr. sed is maestus est hasce se vendidisse.
Th. quid tandem? Tr. orat ut suadeam Philolacheti
ut istas remittat sibi. Th. haud opinor.
sibi quisque ruri metit. si male emptae
forent, nobis has redhibere haud liceret.

neque pretio restituto mercem traditam repetendam fuisse magis probari possit. patet igitur emptionem venditionem, quae nullam parere valeret actionem, tamen, ubi ab utraque parte quod deberetur praestatum esset, haud minus firmam fuisse quam ex qua actio nasceretur. itaque, si in ipso contractus limine et qui emeret et qui venderet solverent ambo, liquet neque emptionem rescindi potuisse neque periculum fuisse ne alteruter ab altero circumveniretur.

quae cum ita sint, mirum videri non possit in quibusdam emptionibus quasi regulam obtinuisse, ut praesentaria pecunia mercari oporteret. sic ubi publicum aliquid, velut praeda de quaestoribus, emitur (Captiv. II 2 8: cf. prol. 34 — 5). similiter in privatis etiam auctionibus. vide Menaechmos (V 9 95):

auctio fiet Menaechmi, mane sane septimi.
venibunt servi suppellex fundi aedes; omnia
venibunt. quiqui licebunt praesenti pecunia.
venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit.
vix credo tota auctione capiet quinquagesies.

item si pusillae ac vilis pretii res in mercatu vel tabernis veneant. prae ceteris vide Asinariae locum (I 3 46), ubi ita lena loquitur:

diem aquam solem lunam noctem, haec argento non emo.
cetera quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide.
cum a pistore panem petimus, vinum ex oenopolio,

si aes, habent dant mercem. eadem nos disciplina utimur:
semper oculatae nostrae manus sunt, credunt quod vident.

qui tamen locus idem multas olim probat vel pretiosarum rerum emptiones ita institutas fuisse, ut ipsum pactum pretii solutio mercisque traditio non proxime sequeretur. neque enim quod turpissima mulier Graeca fide mercari vocat ac suae disciplinae exemplar ostendit, id ipsum fuisse videtur quod cives Romanos in amplioribus negotiis servare solitos fuisse constat.

jam si quaeras qui factum sit ut pactiones implendi morem Romani tenerent cum nullis obstringerentur actionibus, bonam fidem fuisse videbis quae tunc maxime placita custodiret. hic sane locus non est ubi, quae in antiquissimo jure fidei vis fuerit, edisseram; neque enim id paucis absolvi possit. sed constat fidem ex eo cognosci, quod quicquid debeamus praestemus, eamque optimam esse fidem, quae quod solvere cogi non possit tamen solvat. Graeca fides, quod in manu non sit, id neque habituram se sperat. alia prorsus bonae fidei natura. in Mostellaria quaerit senex an bona fide filius emerit aedes, cui servus (III 1 138):

si quidem es argentum redditurus, tum bona,
si redditurus non es, non emit bona.

pater an venditor filii fidem secutus sit quaeritare videtur, servus quod emptorem facere bona fides jubeat edocet.

at constat Plauti temporibus jam multa contra antiquos mores facta esse, neque eandem quae olim fuisse fidei auctoritatem. nulla est fabula quin invehatur vehementissime in fraudulentos legirupas sacrilegos, qui vel juratam abjurent fidem. itaque fidem ipsam parum valuisse liquet ad omnia negotia tutanda. neque actiones antiquissimis temporibus esse introductas negari possit. regula fuisse videtur ut quicquid dedisset alter alteri, idem ab eo repetere posset. ex permultis, qui huc spectant, locis paucos liceat afferri.
Bacchid. II 3 9. salutat servus dominum. is ubinam filius sit quaerit. tum servus:

quin tu primum salutem reddis quam dedi?

Epidico (I 1 22):

operam mihi da, opera reddibitur tibi.

ibid. III 4 81:

fides non reddis? — nec fides nec tibias.
— flagitio cum majore post reddes tamen.

Menaechmis (IIII 2 105):

quid mihi futurum est qui tibi hanc operam dedi?
— opera reddetur.

Pseudolo (I 1 41):

salutem mittit et salutem abs te expetit.
— perii. salutem nullam inveni, Pseudole,
quam illi remittam.

Rudente (IIII 4 43):

aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur.

jam cum datum quod sit semper certum haberi possit, neque olim aliud quam id ipsum quod datum esset repeti liceret, certam utique ex re data natam esse obligationem patet, nec possit probari Kelleris sententia (Civ. Pr. § 88) qui in antiquissimo jure ex formalibus, quos dicamus, contractibus tantummodo certas actiones censet esse natas. re data aliam vel incertam rem peti posse, recentioris demum juris esse videtur.

itaque, quanquam nulla esset Plauti aetate ad implendam emptionem actio, leve tamen ejus, qui praestitisset aliquid secundum pactionem contractam, agebatur periculum; si alter non item solveret, judicio reposci datum licebat. cui rei similis etiam arrhabonis dandi ratio fuisse videtur. etenim emptor plerumque pretii partem dabat arrhaboni, quo, ut sese, ita venditorem quoque alligaret. ipsi, qui dederat, repetere arrhabonem non licebat, cum altera pars servare placita malebat. item qui acceperat obligatus erat vel ad implendam venditionem vel ad arrhabonem restituendum. locos qui hanc arrhabonis vim fuisse demonstrent, postea exsequemur: jam id unum liceat addi, Plautum »pignore« atque »arrhabone« vocibus promiscue uti, et quem modo arrhabonem dixi pignus vocare (Mostell. III 3 39), et rursus rem obligatam arrhabonem appellare

(Poenul. V 6 22 et 5 6; Mil. gl. IIII 1 11, III 3 38 — 9, IIII 2 58; item videas Terentii Heaut. III 3 40 — 2 et M. Catonis apud Gellium XVII 2 verba).

merce non tradita tantum, verum etiam mancipio data, ex ipsa mancipatione notissimum est actionem esse natam, quae tutum plane redderet emptorem. et illa in usu fuisse videtur confirmandae emptionis ratio, ut partes se invicem jurejurando exacto obstringerent; id quod tamen actionem videtur peperisse nullam. aliud sane erat ubi sponsio adjiciebatur ad firmandam emptionem; namque ex omni semper promissione actionem natam esse constat. jam hic mancipii jurisjurandive vel sponsionum vis ac natura non videtur accuratius explicanda esse: hoc unum constitui oportebat, eam olim fuisse emptionem venditionem, cui addere vires variis modis partes studerent. ac miremur licet quid causae fuerit, cur, si emptio ipsa actionem parere valeret, jusjurandum, cujus minor longe vis erat, firmandae emptionis gratia exigi placuerit saepissime.

III.

Jam propius ad singulos accedamus locos; ex quibus illi primi videntur perlustrandi, qui ex ipso consensu neque empti nec venditi natam esse actionem probent.

a Curculione initium sumamus. miles quidam Therapontigonus, qui in Caria moratur, mulierem se a lenone Epidauriensi emisse narrat. quam rem ita refert Curculio II 3 61:

(miles) me interrogat
ecquem in Epidauro trapezitam Lyconem noverim.
dico me novisse. — quid lenonem Cappadocem? adnuo
visitasse. sed quid eum vis? — quia de illo emi virginem
triginta minis; vestem aurum, et pro his decem coaccedunt minae. —
dedisti tu argentum? inquam. — immo apud trapezitam situm est,
illum quem dixi, Lyconem. atque ei mandavi, qui anulo
meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
operam ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.

quam emptionem ultra jurejurando a lenone exacto confirmatam

fuisse constat (III 88 ac IIII 4 10); nec tamen lenonem hac pactione obstrictum sibi visum esse apparet, cum alii item eandem mulierem amatori offerat emendam. namque Phaedromus narrat (I 1 63):

alias me poscit pro illa triginta minas,
alias talentum magnum; neque quicquam queo
aequi bonique ab eo impetrare.

nec mulieri ipsi se Phaedromo etiam vendi posse dubium est (I 3 57):

si amas, eme; ne rogites; facito ut pretio pervincas tuo.

ipse denique leno, cum veniant qui tanquam a milite missi argentum afferant ac tradi sibi puellam postulent, quaeritat (III 88):

quid quod juratus sum?

id est: vosne ejus emptoris nomine venitis, cui me jurejurando obligavi? estne hoc illud quod juravi negotium? cui trapezita:

quid id refert tua,
dum argentum accipias?

patet ergo jurisjurandi vim minimam esse in lenonem, ipsius emptionis prope nullam.

quae praeterea hanc eandem spectant emptionem, etsi probare non valeant nullam ex ea natam esse actionem, tamen hic simul proponi decet, quo magis totum negotium perlustrari possit. Phaedromus, alter ille mulieris amator, cui attulit Curculio militis anulum, tabellas militis nomine consignat, quibus fallat trapezitam. sunt haec verba fictae epistolae (III 59):

miles Lyconi in Epidauro hospiti
suo Therapontigonus Platagidorus plurimam
salutem dicit.
tecum oro et quaeso, qui has tabellas afferet
tibi, ut ei detur quam istic emi virginem,
quod te praesente istic egi teque interprete,
et aurum et vestem. jam scis ut convenerit.
argentum des lenoni huic des virginem.

cum Curculione sycophanta lenonem adit danista deceptus (III 87):

argentum accipias, cum illo mittas virginem.

educit ex aedibus Curculio mulierem (IIII 2 1):

Cu. i tu prae, virgo; non queo quod pone me est servare.

et aurum et vestem omnem suam ajebat, quicquid haec haberet.
Ca. nemo it infitias. Cu. attamen meliusculum est monere.
Ly. memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
causa manu adsereret, mihi omnem argentum redditum iri,
minas triginta. Ca. meminero. de istoc quietus esto;
et nunc idem dico. Ly. et commeminisse haec ego volam te.
Ca. memini et mancupio tibi dabo. Cu. egone ab lenone quicquam
mancupio accipiam? quibus sui nihil est nisi una lingua,
qui abjurant si quid creditum est. alienos mancupatis,
alienos manumittitis, alienisque imperatis.
nec vobis auctor ullus est nec vosmet estis ulli.

v. 29. Cu. ego mancipem te nil moror, nec lenonem alium quemquam.

v. 34. Ca. quid stulta ploras? ne time, bene hercle vendidi ego te.

v. 39. Ly. num quid vis leno? Ca. istas minas decem qui me procurem,
dum melius sit mihi, des. Ly. dabuntur. cras peti jubeto.

tandem leno unde ipse emerit mulierem narrat:

v. 42. nam illanc minis olim decem puellam parvolam emi,
sed eum qui mi illam vendidit nunquam postilla vidi.
periisse credo. quid id mea refert? ego argentum habeo.

at redit miles, poscit mulierem (IIII 4 8):

sed quid agit meum mercimonium apud te? Ca. nihil apud me quidem.
ne facias testes, neque equidem debeo quicquam. Th. quid est?
Ca. quod fui juratus feci. Th. reddisne an non virginem,
priusquam te huic meae machaerae obiciam, mastigia?

quod actum sit audit miles, Curculionem aggreditur. sed jam Phaedromus liberam amicam natam esse intellexit (V 2 17):

virgo haec libera est.
Th. meane ancilla libera ut sit, quam ego nunquam emisi manu?
Ph. quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emisti? fac sciam.
Th. ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo,
quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam.

postremo leno, quod repromisit si mulier liberali manu adsereretur, reddere argentum poscitur, ac condemnatur a Phaedromo judice sumpto inter Cappadocem et militem (V 3 31 — 45: cf. 2 66 — 9.)

haud dissimilis in Pseudolo tractatur fabula. mulier quae servit apud lenonem, litteras mittit amanti (I 1 49):

leno me peregre militi Macedonico
minis viginti vendidit, voluptas mea,
et priusquam hinc abiit, quindecim miles minas
dederat. nunc unae quinque remorantur minae.
ea causa miles hic reliquit symbolum,
expressam in cera ex anulo suam imaginem,
ut qui huc afferret ejus similem symbolum
cum eo simul me mitteret. ei rei dies
haec praestituta est proxima Dionysia.

ipse amator de eadem muliere emenda cum lenone jam egisse videtur: etenim servus Pseudolus de domino haec ait (I 3 60):

hunc pudet quod tibi promisit quaque id promisit die,
quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
B. nimio id quod pudet facilius fertur quam illud quod piget.
non dedisse istum pudet, me quia non accepi piget.
Ps. at dabit, parabit. aliquot hos dies manta modo:
nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.

dehinc cum ipso domino colloquitur leno (v. 102):

quid nunc vis? C. ut opperiare hos sex dies saltem modo,
ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. B. animo bono es,
vel sex mensis opperibor. C. euge homo lepidissume.
B. immo vin' etiam te faciam ex laeto laetantem magis?
C. quid jam? B. quia enim non venalem jam habeo Phoenicium.
v. 122. C. non habes venalem amicam tu meam Phoenicium?
B. non edepol habeo profecto; nam jampridem vendidi.
C. quo modo? B. sine ornamentis cum intestinis omnibus.
C. meam tu amicam vendidisti? B. valde viginti minis.
C. viginti minis? B. utrum vis, vel quater quinis minis,
militi Macedonio. et jam quindecim hic habeo minas.
v. 133. C. juravistin' te illam nulli venditurum nisi mihi?
B. fateor. C. nempe conceptis verbis? B. etiam consultis quoque.
C. perjuravisti sceleste. B. at argentum intro condidi.
v. 153. B. sed quanquam multa malaque in me dicta dixistis modo,
nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,

sicut haec est praestituta summa argento dies,
si is non aderit, posse opinor facere me officium meum.
C. quid id est? B. si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
hoc meum est officium. ego operae si sit, plus tecum loquar,
sed sine argento frustra est quod me tui misereri postulas.

ex his ultimis versibus patet diem tantum solutioni residui pretii esse constitutam, commissoriam legem quae totam resolverit emptionem adjectam non esse: neque enim, ubi jam nullum esset negotium, de fide perdunda venditor loqui potuisset. itaque perstat emptio etiam post illam diem, et tamen alteri sese venditurum pollicetur leno. quod si faciet, fidem videlicet perdet, atque quindecim etiam restituendae erunt minae. at patet nil ultra periclitari lenonem, neque actionem esse militi emptori qua ipsam petat mulierem. nullus profecto viginti minis venditaret puellam leno, qui ea amissa mox in longe majorem posset condemnari pecuniam.

sed quid porro in Pseudolo agatur enarrandum est. advenit militis servus (II 2 1):

hi loci sunt atque hae regiones quae mi ab hero sunt demonstratae,
ut ego oculis rationem capio quam mi ita dixit herus meus miles,
septimas esse aedis a porta, ubi ille habitat leno quoi
jussit symbolum me ferre et hoc argentum.

obvenit illi Pseudolus:

v. 22. esne tu an non es ab illo milite Macedonio,
servos ejus qui hinc a nobis est mercatus mulierem?
qui argenti hero meo lenoni quindecim dederat minas,
quinque debet.

idem fallaciis adit:

v. 30. tune attulisti? H. egomet. Ps. quid dubitas dare?
H. tibi ego dem? Ps. mihi hercle vero, qui res rationesque heri
Ballionis curo argentum accepto expenso, et quoi debet dato.

sed Harpax ille pecuniam non credit, epistolam credit Pseudolo (v. 52 seq.). qui novos dehinc struit dolos (II 4 61):

sed quid illo es acturus? Ps. dicam. ubi hominem exornavero,

subditicium fieri ego illum militis servom volo.
symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis
mulierem ab lenone abducat. hem tibi omnem fabulam.

subdole ac versute machinae coeptae provehuntur. qui fingitur militis servus, ad lenonem pervenit (IIII 2 25):

herus tibi meus me salutem multam voluit dicere.
hanc epistolam accipe à me; hanc me tibi jussit dare.

v. 36. sed propera hanc perlegere, quaeso, epistolam; ita negotium est;
atque accipere argentum actutum mulieremque emittere:
nam necesse hodie Sicyoni me esse.

v. 41. B. miles lenoni Ballioni epistolam
conscriptam mittit, Polymachaeroplacides,
imagine obsignatam, quae inter nos duo
convenit olim.

v. 52. Harpax calator meus est, ad te qui venit.

v. 54. qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi
et cum eo simitu mulierem mitti volo.
salutem scriptam dignum est dignis mittere:
te si arbitrarem dignum, misissem tibi.
S. quid nunc? B. argentum des, abducas mulierem.

gloriatur leno jam ab se non posse abduci mulierem Pseudoli fallaciis (IIII 6 24 sq.): at mox fraudem sibi factam cognoscit. occurrit vero illi militis calatori, qui argentum a se accipi, contra tradi sibi mulierem postulat (IIII 7 19):

leno argentum hoc volo
a me accipiat atque amittat mulierem mecum simul.

v. 51. argentum accipias. B. jamdudum, si des, porrexi manum.
H. accipe. hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae.
hoc tibi herus me jussit ferre Polymachaeroplacides,
quod deberet atque ut mecum mitteres Phoenicium.

cum jam nullum cuiquam queat esse dubium, videamus quid poscat servos militis emptoris:

v. 89. quin tu mulierem mihi emittis? aut redde argentum.

v. 123. hercle haud te sinam emoriri, nisi mi argentum redditur,
viginti minae.

B. quid nunc faciam? H. si mi argentum dederis, te suspendito.
B. di te perdant. sequere sis me ergo ad forum, ut solvam.
H. sequor.

patet ergo pecuniam peti posse, mulierem peti non posse, ex datione actionem nasci (neque enim, si cogi non posset, leno ad argentum statim reddendum promptus foret), ex ipsa emptione non nasci.

idem Mostellaria confirmat fabula. quo magis dominum Theuropidem ex itinere reducem emungat, servus Tranio filium herilem aedes emisse fingit. (III 1 103):

aedes filius
tuus emit. Th. aedes? Tr. aedes. Th. euge. Philolaches
patrissat. jam homo in mercatura vortitur.
ain tu aedes? Tr. aedes inquam.

v. 109. Th. bene hercle factum. quid? eas quanti destinat?
Tr. talentis magnis totidem quot ego et tu sumus.
sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.
hinc sumpsit quas ei dedimus. satine intellegis?
nam postquam haece aedes ita erant ut dixi tibi,
continuo est alias aedes mercatus sibi.

v. 131. eas emisse aedes hujus dicam filium.

v. 137. tuus emit aedes filius. Th. bonan fide?

sequuntur quae jam supra relata sunt. venditorem, quem finxerit, poenitere venditionis contractae idem addit servus. (III 2 109):

sed is maestus est hasce se vendidisse.
Th. quid tandem? Tr. orat ut suadeam Philolacheti
ut istas remittat sibi. Th. haud opinor.

quae inferuntur, item jam attuli. addas:

v. 124. ah cave tu illi objectes nunc in aegritudine
te has emisse. non tu vides hunc voltu ut tristi est senex?

at quaerat qnispiam, quam ob rem venditor abire nolit a pactione, cujus ipsum pigeat, nisi consentiat cum eo emptor negotium contractum resolvere. quid orare decebat illum ut aedes remitterentur sibi, qui nulla actione ad tradendas poterat cogi? actione sane non

tenebatur, tenebatur fide. neque enim ille aedium venditor vel leno vel caupo est, quos flocci facere fidem constet.

tandem inspiciuntur aedes illae (IIII 2 1):

Tr. quid tibi visum est hoc mercimoni? Th. totus gaudeo.
Tr. num nimio emptae tibi videntur? Th. nunquam edepol ego me scio
vidisse usquam abjectas aedes nisi modo hasce. Tr. ecquid placent?
v. 9. Th. di immortales mercimoni lepidi. si hercle nunc ferat
sex talenta magna argenti pro istis praesentaria,
nunquam accipiam . . . .
bene res nostra collocata est istoc mercimonio.
v. 14. Tr. subegi fenore argentum ab danista ut sumeret,
quod isti dedimus arrhaboni. Th. servavisti omnem ratem.
nempe octoginta debentur huic minae? Tr. haud nummo amplius.
Th. hodie accipiat. Tr. ita enimvero, ne qua causa subsiet.

nec tamen diu in errore versatur senex. (IIII 4 5):

Th. verum jam scibo. nam eccum unde aedes filius
meus emit.

v. 18. minas quadraginta accepisti, quod sciam,
a Philolachete. S. nunquam nummum quod sciam.
v. 21. Th. quas arrhaboni tibi dedit? S. quid somnias?
Th. egone? at quidem tu, qui istoc te speras modo
potesse dissimulando infectum hoc reddere.
S. quid autem? Th. quod me absente tecum hic filius
negoti gessit.

cognita veritate servi fallacias convincere senex tentat (V 1 30):

nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum.
Tr. quidum? Th. qui negat novisse vos. Tr. negat? Th. nec vos sibi
nummum unquam argenti dedisse.
v. 34. imo edepol negat profecto, neque se has aedis Philolachi
vendidisse. Tr. eho, an negavit sibi datum argentum, obsecro?
Th. quin jusjurandum pollicitust dare se, si vellem, mihi,
neque se hasce aedis vendidisse, neque sibi esse argentum datum.
dixi ego istuc idem illi. Tr. quid ait? Th. servos pollicitust dare
suos mihi omnes quaestioni. Tr. nugas. nunquam edepol dabit.

Th. dat profecto. Tr. quin et illum in jus jube ire. Th. jam mane.
experiar, ut opinor. certum est mihi. Tr. mihi hunc hominem cedo.
Th. quid si igitur ego arcessam homines? Tr. factum jam esse oportuit.
vel hominem jube mancupio aedes posci. Th. imo hoc primum volo,
quaestioni accipere servos.

v. 49. quia enim id maxume volo ut illi istoc (ad aram sc.) confugiant. sine.
tanto apud judicem hunc argenti condemnabo facilius.
Tr. quod agis, id agas. quid tu porro serere vis negotium?
nescis tu quam meticulosa res sit ire ad judicem?

at, quamvis meticulosum sit adire judicem, patet posse adiri, esse causam cur actio intendatur. sed quae haec est actio? sperat sese senex adversarium apud judicem argenti condemnaturum. argentum ergo non aedes peti possunt; constat enim tunc temporis reum semper in rem ipsam fuisse condemnandum. verum argentum, quod petatur, liquet esse arrhaboni datum, ad ipsam emptionem implendam agi non posse patet.

item quae in Rudente res agitatur, competere emptori actionem ad arrhabonem repetendum, non competere ad destinatam petendam mercem, dilucide demonstrat. quid negotii gestum sit, ex prologo videamus:

v. 40. eam (sc. virginem) de praedone vir mercatur pessumus.
is eam huc Cyrenas leno advexit ..
adulescens ....
eam vidit ....
amare occoepit, ad lenonem devenit,
minis triginta sibi puellam destinat,
datque arrhabonem et jurejurando alligat.
is leno, ut se aequom est, flocci non fecit fidem
neque quod juratus adulescenti dixerat.

v. 59. leno adulescenti, qui puellam ab eo emerat,
ait sese Veneri velle votum solvere.

v. 63. conscendit navem, avehit meretriculas.

constat igitur emptionem contractam esse atque insuper jurejurando exacto arrhaboneque dato esse confirmatam; at quid timet leno,

quem nave fracta mare in litus rejecit unde proxume aufugerat (II 6 70)?

nunc si me adulescens Pleusidippus viderit,
a quo arrhabonem pro Palaestra acceperam,
jam is exhibebit hic mihi negotium.

ne ob arrhabonem acceptum negotium sibi facessatur metuere videtur, ipsa emptione haud magis quam jurejurando adjecto se impediri intelligit. atque adest adolescens Pleusidippus, incurrit in lenonem, in jus vocat, non quod vendiderit mulierem vel jurejurando se alligarit, sed ob id ipsum quod arrhabonem acceperit. (III 6 21):

ego hunc scelestum in jus rapiam exsulem.
age ambula in jus. L. quid ego deliqui? P. rogas?
quine arrhabonem a me accepisti ob mulierem,
et eam hinc avexti?

quod postea leno se miserrimum mortalium exclamat (V 1 2):

quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus,
abjudicata a me modo est Palaestra.

ad empti actionem referendum non est: neque enim abjudicandi vox ea esse videatur qua ex empto sententia significanda sit, neque omnino hic empti actionem intendi licebat, cum Pleusidippus jam liberam, quam emerit mulierem esse sciret (IIII 8). liquet ergo illam abjudicationem ad liberalem causam esse referendam, ubi Pleusidippus vindex amicae exstiterit, sic ut antea servus Pleusidippi, etiam priusquam de libertate Palaestrae constaret, provocarat lenonem (III 4 7):

ergo dato
de senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum,
si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas.

IIII.

Perlustratis jam locis qui ex emptione venditione actionem nasci nullam probarent, qui restant etiam percurrendi sunt, num quis eorum contrarium demonstrare possit, nasci tamen ex ipso contractu vel incertam actionem. omnes igitur, qui emptionem spectent, ex-

sequar locos; quorum me nullum, qui ad naturam ex empto actionis cognoscendam ullius momenti putari possit, subterfugisse spondeo, omnes omnino quos quis forte ad emptionem referri posse conjiciat me composuisse non spondeo. etenim hujus rei vix certos constitui posse fines patet, cum quaecunque cujusvis alienationis mentio ad emptionem venditionem referenda esse videri queat.

secutus sum in locis citandis alteram Caroli Weise Plauti comoediarum editionem, non quin scirem nonnullas fabularum vel a Godofredo Hermanno vel a Ritschelio majore diligentia atque sapientia editas esse; sed per totam fabularum seriem eandem sequi editionem utile mihi visum est, neque solidam novi modo dicta recentiorem. singulos locos secundum comoediarum ordinem quem Weise probat disposui, ex eadem comoedia qui idem negotium spectent, conjungere studui.

Amphitruo.

prol. v. 1. Mercurius loquitur:

ut vos in vostris voltis mercimoniis
emundis vendundisque me laetum lucris
adficere atque adjuvare in rebus omnibus.

I 1 246. certe edepol tu me alienabis nunquam quin noster siem.

Asinaria.

I 1 58. beneficiis me emere gnatum suum.

73. argentum accepi, dote imperium vendidi.

92. tu redimes me, si me hostes interceperint?

3 1. unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis
non potest auferre hinc a me, si quis emptor venerit.

19. dedi equidem quod mecum egisti. — et tibi ego misi mulierem.
par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

II 2 67. meministine asinos Arcadicos mercatori Pellaeo
nostrum vendere atriensem . . . .
hem ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureae
pro asinis. adulescens venit modo qui id argentum attulit.

3 16. argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
— qui pro istuc? — asinos vendidit Pellaeo mercatori
mercatu. — scio. tu id nunc refers? jam hic credo eum adfuturum.

4 47. verum istuc argentum tamen mihi si vis denumerare,
repromittam istoc nomine solutam rem futuram.

26. — eho ecquis pro vectura olivi
rem solvit? — solvit. — quoi datum est? — Sticho vicario ipsi.

30. sed vina quae here vendidi vinario Exaerambo,
jam pro iis satis fecit Sticho? — fecisse satis opinor.

III 3 83. redime istoc beneficio te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento.

IIII 1 18. et si qua inutilis
pictura sit, eam vendat.

Aulularia.

II 8 2. ut bene me haberem filiai nuptiis,
venio ad macellum, rogito pisces. indicant
caros, agninam caram, caram bubulam.

15. nunc tusculum emi et has coronas floreas.

III 5 51. ubi nugivendis res soluta est.

Bacchides.

IIII 6 16. o stulte stulte, nescis nunc venire te,
atque in eo ipso adstas lapide ubi praeco praedicat,
— responde, quis me vendit? — quem di diligunt.

8 52. nunc Priamo nostro si est quis emptor, coemptionalem senem
vendam ego, venalem quem habeo.

sc. 7. miles quidam adest, qui senis filium, quod mulierem retineat, opprimere minitatur. timet de filii vita pater:

24. pacisci cum illo paulula pecunia
potes. — pacisce ergo, obsecro, quid tibi lubet.

38. ducentis Philippis rem pepigi. vah salus.

78. nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
quos dare promisi militi. quos non dabo
temere etiam, priusquam filium convenero.

8 87. ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.

Captivi.

prol. 8. quadrimum puerum servos surpuit,
eumque hinc profugiens vendidit in Alide
patrid hujusce.

18. domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.
hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo.
V 2 19. quia et fugi et tibi subripui filium et eum vendidi.
3 1. hic gnatum meum
tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
10. dic mihi, isne istic fuit quem vendidisti meo patri?
4 14. pater hic est, hic servos qui te huic hinc quadrimum surpuit
venditque meo patri te sex minis.
prol. 27. coepit captivos commercari hic alios.
34. emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.
I 1 32. homines captivos commercatur, si queat
aliquem invenire suam qui mutet filium.
2 1. istos captivos duos,
heri quos emi de praeda a quaestoribus.
II 3 93. cum illos emi de praeda a quaestoribus.
III 2 1. quid est suavius quam bene rem gerere publico
bono, sicut ego feci heri,
cum emi hosce homines?
II 2 8. quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia.
24. euge pol Thalem talento non emam Milesium.
80. filius meus illic apud vos servit captus Alide.
eum si reddis mihi, praeterea unum numum ne duis:
et te et hunc amittam hinc.
87. fac is homo ut redimatur.
91. ut is homo redimatur illi.
1 10. pigeat postea
nostrum herum, si eximat aut solutos sinat
quos argento emerit.
2 90. verum quaeso ut aestumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem.
103. num quae causa est quin, si ille huc non redeat, viginti minas,
mihi des pro illoc?
3 4. nam ego te aestumatum huic dedi viginti minis.
19. ut te aestumatum in Alidem mittam ad patrem.
si non rebitas huc, ut viginti minas
dem pro te.

72. sed te quaeso, cogitato hinc mea fide mitti domum
te aestumatum, et meam esse vitam hic pro te positam pignori.

78. scito te hinc minis viginti aestumatum mittier.

3 6. meum ut illic redimat filium.

37. ut eum redimat et remittat nostrum huc amborum vicem.

III 4 54. filium tuom quod redimere se ait.

5 100. ex servitute me exemisse filium.

IIII 2 69. alium pisces praestinatum abire.

Casina.

II 3 27. pol amico dedi cuidam operam, dum emit unguenta.

8 57. emito sepiolas, lepadas, lolligunculas.

III 2 8. non ecastor vilis emptust modius qui venit salis.

Curculio.

I 1 33. nemo hinc prohibet nec vetat
quin, quod palam est venale, si argentum est, emas.

II 1 29. venire poteris intestinis vilius.

III 12. cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
nunc mihi quaeratur; usus est pecunia.

IIII 1 21. in Tusco vico ibi sunt homines qui ipsi sese venditant.

Epidicus.

I 1 41. forma lepida et liberali captivam adulescentulam
de praeda mercatust.
— cur eam emit? — animi causa.

49. quid istanc quam emit, quanti eam emit?
[vili. — haud istuc te rogo. —
quid igitur? — quot minis?] — tot. — quadraginta minis. —
— id adeo argentum ab danista apud Thebas sumpsit fenore.

65. amatne istanc
quam emit dè praeda?

2 4. idne pudet te, quia captivam genere prognatam bono
in praeda es mercatus? quis erit vitio qui id vortat tibi?

V 1 1. male morigerus mi est danista, qui de me argentum haud petit,
neque illam adducit quae empta ex praeda est.

15. hic est danista, haec illa est autem quam emi ex praeda.

39. accipe argentum hoc, danista. hic sunt quadraginta minae.
si quid erit dubium, immutabo. — bene fecisti. bene vale. —
nunc enim tu mea es.

I 1 45. ipse mihi mandavit, ab lenone ut fidicina,
quam amabat, emeretur sibi. id ei impetratum reddidi.

89. ego miser meis perpuli dolis senem
ut censeret suam sese emere filiam. is suo filio
fidicinam emit quam ipse amavit, quam abiens mandavit mihi.

2 17. sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.

28. impetratum est, empta ancilla est, quod tute ad me litteras
missiculabas.

II 2 94. ut enim praestines argento, priusquam veniat filius,
atque ut eam te in libertatem dicas emere . . . .
ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas.

108. quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? — hic erit optimus,
hic poterit cavere recte, jura qui et leges tenet.

112. quanti emi potest minimo? — illane?
ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minis.
verum si plus dederis, referam. nulla in ea re captio est.

III 2 21. euge euge. — ea jam domi est pro illa. — teneo. — nunc auctorem
dedit mihi ad hanc rem Apoeciden. is apud forum manet me,
quasi qui emeret. — cavet haud male. jam ipse cautor captust.

35. jam ego parabo
aliquam dolosam fidicinam, nummo conducta quae sit,
quae se emptam simulet.

3 25. edepol nae istanc tempori gnato tuo
sumus praemercati.

30. non carust auro contra. — ut ille fidicinam
fecit nescire prorsus se esse emptam tibi.

4 52. equidem hercle argentum pro hac dedi.

55. ipse hanc in eo articulo emit fidicinam.

63. mercatus te hodie est de lenone Apoecides?
ehodum? — ego istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
potuit; plus jam sum libera quinquennium.

IIII 1 40. nam postquam audivi illico
ex meo servo illam esse captam, continuo argentum dedi
ut emeretur.

2 26. quid? ob eam rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus?

32. hinc Athenis civis eam emit Atticus.
adulescentem equidem dicebant emisse.

V 1 6. Periphanem emere lora vidi.

2 18. tu habes lora, ego te emere vidi.

30. rogita quod lubet.
— qua fiducia ausus primum, quae empta est nudius tertius,
filiam meam dicere esse?

37. dedin tibi minas triginta ob filiam? — fateor datas,
et eo argento illam me emisse amicam filii fidicinam
pro tua filia. istis adeo te tetigi triginta minis.

I 2 50. est Euboïcus miles locuples, multo auro potens,
qui ubi tibi istam emptam esse scibit atque hanc adductam alteram,
continuo te orabit ultro ut illam tramittas sibi.

II 2 115. atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
— quidum? — quia enim mulierem alius illam adulescens deperit,
auro opulentus, magnus miles Rhodius, raptor hostium,
gloriosus; hic emet illam de te, et dabit aurum lubens.

III 4 27. adulescens, ita est
ut dicis emi. — volo te verbis pauculis.

31. mi illam ut tramittas, argentum accipias volo.
— habeas. — nam quid ego apud te parcam proloqui?
ego illam hodie volo facere libertam meam,
mihi concubina quae sit. — te absolvam brevi.
argenti quinquaginta mi illa empta est minis.
si sexaginta mihi denumerantur minae,
tuas possidebit mulier faxo ferias.

39. — estne empta mi haec? — his legibus habeas licet.

41. atque etiam fides
ei quae accessere, tibi addam dono gratiis.

II 2 53. haec vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.

Menaechmi.

I 3 22. quattuor minis ego emi hanc anno uxori meae.

IIII 3 5. mihi eam redde. uxor rescivit rem omnem, ut factum est ordine.
ego tibi redimam bis tanto pluris pallam quam voles.

2 115. aliam illi redimam meliorem.

II 2 15. adulescens, quibus hic pretiis porci veneunt,
sacres sinceri? — nummis. — unum a me accipe.

3 94. dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.

V 9 42. tanquam si emeris me argento, liber servibo tibi.

Mercator.

prol. 74. agrum se vendidisse, atque ea pecunia
navim metretas quae trecentas tolleret
parasse, atque eapse merces vectatum undique,
adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.

86. aedificat navim cercurum et merces emit,
parata navi imponit.

92. Rhodum venimus ubi quas merces vexeram
omnes, ut volui, vendidi ex sententia.
lucrum ingens facio, praeterquam mihi meus pater
dedit aestimatos merces.

103. (mulierem) oro ut vendat mihi.
dico ejus pro meritis gratum me et munem fore.
quid verbis opus est? emi atque advexi heri.

I 2 91. matri te ancillam tuae
emisse illam.

97. credo, non credet pater,
si illam matri meae emisse dicam.

100. neque ille credet, neque credibile est, forma eximia mulierem
eam me emisse ancillam matri.

111. retinebit. rogitabit unde illam emeris, quanti emeris.

II 1 5. mercari visus mihi sum formosam capram.

2 59. huic persuadere quo modo potis siem,
ut illam vendat neve det matri suae.

3 7. miser amicam mihi paravi animi causa, eripui pretio,
ratus clam patrem me meum posse habere.

77. ego emero matri tuae
ancillam viraginem aliquam, non malam, forma mala.

97. me tibi illam posse opinor luculente vendere. —
dum quidem hercle ne minoris vendas quam ego emi pater.
— tace modo. senex est quidam, qui illam mandavit mihi
ut emerem sibi ad istam faciem. — at quidam adulescens, pater,
mihi mandavit ad istanc faciem, ita ut illa est, emerem sibi.
— viginti minis opinor posse me illam vendere.
— at ego si velim, jam dantur septem et viginti minae.
(conferantur sequentia etiam).

111. non ego illam mancupio accepi, sed ille illam accipiet. — sine. —
non potes tu lege vendere illam. — ego aliquid videro. —
post autem communist illa mihi cum alio, qui scio
quid sit ei animi, venirene eam velit an non velit.

116. quid id mea refert? — quia illi suam rem esse aequom est in manu.

118. prius tu emis quam vendo, pater.
nescio, inquam, velit ille illam nec ne abalienarier.
— sed illi quoidam qui mandavit tibi, si emitur, tum volet:
si ego emo illi qui mandavit, tum ille nolet?

125 quin ad navim jam hinc eo.
ibi venibit.

16. induci ut putet matri ancillam emptam esse illam.
nunc si dico uti res est, atque illam mihi me
emisse indico, quemadmodum existumet me?
atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet.

4. amice amico operam dedi; vicinus quod rogavit,
hoc emi mercimonium. mea es tu. sequere sane.

6. cur emeris me?

44. oratio edepol pluris est hujus quam quanti haec empta est.

31. tuo hero redempta es rursus.
ego redemi te. ille med oravit.

2 2. empta est amica clam uxore mea et filio.

1 4 10. tuus pater volt vendere — omnem rem tenes
— tuam amicam.

18. atque eximam
mulierem pretio? — qui potius quam auro expendas.

22. tanti quanti poscit, vin tanti illam emi? — auctarium
adjicito, vel mille nummum plus quam poscet.

III 4 19. mihi data est. hic emit illam.
26. mulier alienata est abs te.
30. quoi est empta? — nescio.
jam addicta atque abducta erat, cum ad portum venio.
37. quin percontatus hominis quae facies foret,
qui illam emisset.
V 4 12. adulescenti amanti amicam eripere emptam argento suo.
15. propterea igitur tu mercatus novos amator, vetus puer.

Miles gloriosus.

II 3 41. non ego possum, quae ipsa sese venditat, tutarier.
45. non ego nunc vitam tuam emam vitiosa nuce.
III 1 92. emi, mi vir, lanam unde tibi pallium
malacum et calidum conficiatur.
IIII 2 68. ni huic verri affertur merces,
non hic suo seminio quamquam porcellam impartiturust.
— dabitur quantum ipsus preti poscet. — talentum Philippum
huic opus auri est.
85. contra auro alii hanc vendere potuit operam.

Mostellaria.

I 3 139. hem istuc verbum vile est viginti minis.
— cedo, amabo, decem. bene emptum tibi dare hoc verbum
volo.
142. triginta minas pro capite tuo dedi.
III 1 15. conveni illum unde has aedes emeram.
6. danista adest, qui amica est empta, qui dedit.
2 136. non videor vidisse postes pulcriores. — pol mihi
eo pretio empti fuerant olim.
IIII 3 32. qui postquam pater ad mercatum abiit, hic tibicinam
liberavit. — Philolaches ergo? — ita. Philematium quidem.
— quanti? — triginta talentis — *μὰ τὸν Ἀπόλλω,* sed minis —
— ain' minis triginta amicam destinatam Philolachi?
— ajo. — atque eam manu emisisse? — ajo.

Persa.

I 1 41. qua confidentia rogare tu a med argentum tantum audes
impudens? quin si egomet totus veneam, vix recipi potis est
quod tu me rogas.

3 54. tum tu me sine illam vendere.
— tunc illam vendas? — imo alium allegavero
qui vendat, qui esse se peregrinum praedicet.
65. me quoque etiam vendas, si lubet,
dum saturum vendas.
76. qui hanc lenoni huic vendat.
III 1 8. venibis tu hodie, virgo.
10. tuin' ventris causa filiam vendis tuam?
— mirum quin regis Philippi causa aut Attali
te potius vendam quam mea quae sis mea.
IIII 3 59. »iste qui tabellas adfert, adduxit simul
forma expetenda liberalem mulierem,
furtivam advectam ex Arabia penitissuma.
eam te volo adcurare ut istic veneat.
at suo periclo is emat qui eam mercabitur:
mancipio neque promittet neque quisquam dabit.
probum et numeratum argentum ut accipiat face.
haec cura et hospes cura ut curetur. vale«.
70. quamobrem ego argentum numerem foras,
nisi mancupio accipio? quid eo opus mihi mercimonio?
79. ne quis vero ex Arabia penitissuma
persequatur. etiam tu illam destinas? — videam modo
mercimonium.
4 14. ex tuo, inquam, usu est; eme hanc.
— edepol qui cum hanc magis contemplo, magis placet. — si
hanc emeris.
25. hanc eme atque ausculta mihi.
— modo ut sciam quanti indicet.
30. si quidem hanc vendidero pretio suo.
— atqui aut hoc emptore vendes pulcre, aut alio non potes.
35. hoc age. opusne est hac tibi empta? — si tibi venisse est
opus,
mihi quoque empta est.
— indica. fac pretium — tua merx est, tua indicatio est.
aequom hic orat. — vin' bene emere? — vin' tu pulcre vendere?
40. prius dico hanc mancupio nemo tibi dabit. jam scis? — scio.
indica minumo daturus qui sis, qui duci queat.

100. emam, opinor. — etiam »opinor«? — summo genere esse arbitror. —
— divitias tu ex isthac facies. — ita di faxint. — eme modo. —
109. adulescens vin' vendere istanc? — magis lubet quam perdere. —
— tum tu pauca in verba confer. qui datur tanti indica.
— faciam ita ut te velle video. habe tibi centum minis. —
— nimium est. — octoginta. — nimium est. — nummus abesse hinc non potest
quod nunc dicam. — quid id est ergo? eloquere actutum atque indica.
— tuo periculo sexaginta haec datur argenti minis. —
— Toxile, quid ago? — di deaeque te agitant irati, scelus,
qui hanc non properes destinare.
118. non edepol minis trecentis cara est. fecisti lucri.
— heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedant minae.
— abscedent enim, non accedent. — tace sis; non tu illum vides
quaerere ansam infectum ut faciat?
6 1. probati argenti hic sunt sexaginta minae
duobus nummis minus — quid ei nummi sciunt? —
crumenam hanc emere, aut facere ut remigret domum.
7 3. nam non emisti hanc, verum fecisti lucri.
— ille quidem jam scit quid negoti gesserit,
qui mihi furtivam meo periclo vendidit,
argentum accepit, abiit. qui ego nunc scio
an jam adseratur haec manu? quo illum sequar?
9 10. nonne antestaris? — tuane ego causa, carnufex,
quoiquam mortali libero aures atteram,
qui hic commercaris cives homines liberos?
V 2 69. hiccine Dordalus est leno, qui hic liberas mercatur?
I 1 38. ut mihi des nummos sexcentos, quos pro capite illius pendam.
II 5 26. et mulier ut sit libera, atque ipse ultro det argentum.
III 3 21. leno te argentum poscit solida servitus
pro liberanda amica.
33. cape hoc sis. — quin das? — nummi sexcenti hic erunt. —
probi numerati: fac sit mulier libera,
atque huc continuo adduce.
IIII 3 3. ita ancilla mea quae fuit hodie, sua nunc est, argento vicit.

15. credo pol, credo, inquam, tibi. — jam liberta auctus? — enicas.
quin tibi me dico credere. — dic bona fide: jam libera est?
— i, i ad forum, ad praetorem, exquire.

20. ubi nunc tua liberta est?

V 2 66. ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi.

II 3 10. nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves ut sibi mercarer.

5 21. dominus me boves mercatum Eretriam misit.

4 2. emere oportet quem tibi obedire velis.

IIII 3 47. ea comparatur praeda, ut fiat auctio
publicitus.

6 14. eum ego ut requiram atque ut redimam.

Poenulus.

prol. 102. illanc minorem in concubinatum sibi
volt emere miles quidam, qui illam deperit.

II 50. addice tuam mihi meritricem minusculam.

prol. 87. eas qui subripuit, in Anactorium devehit
venditque has omnes, et nutricem et virgines,
praesenti argento homini, si leno est homo.

IIII 2 74. quia illas emit in Anactorio parvolas
de praedone Siculo. — quanti? — duodeviginti minis. —
duas illas duodeviginti et nutricem earum tertiam.
et ille qui eas vendebat, dixit se furtivas vendere.
ingenuas Carthagine aibat esse.

V 6 6. in jus te voco.
— quid tibi mecum autem? — quia hasce ajo liberas
ingenuasque esse filias ambas meas,
quae sunt subreptae cum nutrice parvolae.
— jampridem equidem istuc scivi, et miratus fui
neminem venire qui istas adsereret manu.
meae quidem profecto non sunt.

prol. 72. ille qui surripuit, puerum Calydonem avehit.
vendit eum domino hic diviti cuidam seni.

75. emit hospitalem is filium imprudens senex
puerum illum, eumque adoptat sibi pro filio.

IIII 2 81. qui eum surripuit, huc devexit meoque hero eum hic vendidit.
is in divitias homo adoptavit hunc.

V 2 98. subreptus sum illinc. hic Antidamas hospes tuus
emit me, et is me sibi adoptavit filium.

IIII 2 20. haec cum video hic fieri, crucior, pretiis emptos maxumis
apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.

prol. 23. servi ne obsideant, liberis ut sit locus
vel aes pro capite dent.

I 2 65. cujus ego nebulai cyatho septem noctes non emam.

129. quia apud aedem Veneris hodie est mercatus meretricius,
eo conveniunt mercatores. ibi ego me ostendi volo.
— invendibili merci oportet ultro emptorem adducere:
proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

3 1. quid nunc mihi es auctor, Milphio. — ut me verberes
atque auctionem facias. nam impunissime
tibi quidem hercle vendere hasce aedes licet.

V 2 54. ligulas canales ait se advexisse et nuces.
nunc orat operam ut des sibi ut ea veneant.
— mercator, credo, est.

6 25. verum obsecro te ut liceat simplum solvere,
trecentos Philippos. credo, conradi potest.
cras auctionem faciam.

Pseudolus.

I 1 86. sed quid de drachma facere vis? — restim volo
mihi emere. — quamobrem? — qui me faciam pensilem.

3 82. eme die caeca hercle olivum, id vendito oculata die.
jam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.
— perii. an non tum lex me perdit quina vicenaria.
metuunt credere omnes. — eadem est mihi lex: metuo credere.

2 37. ego eo in macellum, ut piscium quicquid est pretio praestinem.

93. tu autem quae pro capite argentum mihi jam jamque saepe numeras.

IIII 7 76. quanti te emit? — suarum in pugna virium victoria.

93. mea quidem haec habeo omnia
meo peculio empta.

Rudens.

III 4 40. argentum ego pro istisce ambabus, quojae erant, domino dedi.
quid mea refert, hae Athenis natae an Thebis sient,
dum mihi recte servitutem serviant.

I 2 10. qui nominat me? — qui pro te argentum dedit.

III 2 24. pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
jam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum aedes mancupia.
navibus magnis mercaturam faciam.

3 43. ecquem esse dices in mari piscem meum?
quos cum capio, siquidem cepi, mei sunt. habeo pro meis.
nec manu adseruntur, neque illinc partem quisquam postulat.
in foro palam omnis vendo pro meis venalibus.

51. quippe cum extemplo in macellum pisces prolati sient,
nemo emat, suam quisque partem piscium poscat sibi.

V 3 49. dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam?

52. dividuom talentum faciam. — bene facis. — pro illa altera
libera ut sit dimidium tibi sume.

Stichus.

II 1 18. venalis ego sum cum ornamentis omnibus.

41. itaque auctionem praedicem ut ipse veneam.

47. ii quando quem auctionem facturum sciunt,
adeunt. perquirunt quid siet causae illico;
alienum aes cogat, an pararit prandium;
uxorine sit reddenda dos divortio.

65. nunc auctionem facere decretum est mihi.
foras necessum est, quicquid habeo, vendere.
adeste sultis, praeda erit praesentium.
logos ridiculos vendo. agite licemini. cf. s.

3 59. non vendo logos.

68. venales logi sunt illi quos negabam vendere.

Trinummus.

I 2 87. emistin' de adulescente has aedis? quid taces?
ubi nunc tute habitas? — emi atque argentum dedi,
minas quadraginta, adulescenti ipsi in manum.

96. non ego illi argentum redderem? — non redderes,
neque de illo quicquam neque emeres neque venderes.

130. me absente atque insciente inconsulto meo
aedes venales hasce inscribit litteris.

140. an ego alium dominum paterer fieri his aedibus?
qui emisset, ejus essetne ea pecunia?

emi egomet potius aedes, argentum dedi
thesauri causa, ut salvom amico traderem.
neque adeo hasce emi mihi neque usurae meae.
illi redemi rursum, a me argentum dedi.
157. posticulum hoc recepit, cum aedes vendidit.
II 4 1. minus quindecim dies sunt cum pro his aedibus
minas quadraginta accepisti a Callicle.
18. minas quadraginta accepisti a Callicle,
et ille aedes a te accepit mancupio.
— pol opinor, adfinis noster aedes vendidit.
IIII 3 74. vendidit tuus natus aedes. — perii. — praesentariis
argenti minis numeratis. — quot? — quadraginta. — occidi.
quis eas emit? — Callicles.
II 2 54. publicisne adfinis fuit an maritumis negotiis?
mercaturamne an venales habuit, ubi rem perdidit?
4 163. volt fieri liber, verum quod det non habet.
IIII 3 49. quod dederam, talento inimicum mi emi, amicum vendidi.
54. emere meliust quoi imperes. — pol ego emi atque argentum dedi.

Truculentus.

III 1 3. advenit
ad villam, argentum meo qui debebat patri,
qui oves Tarentinas erat mercatus de patre.
8. minas viginti mihi dat.
I 1 33. aut empta ancilla.
II 6 62. viginti minis
venire illaec posse credo dona quae ei dono dedi.
2 20. mancupio vine accipi quos gestas tecum hos anulos.

BEROLINI, TYPIS GUSTAVI SCHADE.